

- Clericos negotiatores peccatum mortale est.
- 84 Deponendus est Episcopus negligens purgare suam diocesim ab hæreticis.
- 85 Debet curare executionem ultimarum Voluntatum, neque excusatur ex ignorantia Juris, vel facti num. 86., & reputatur peccatum mortale 87.
- 88 A subdito excommunicato cum debita reverentia, & signis penitentiae expetitus Episcopus debet absolutionem impendere, alias propter eius negligentiam devolvitur jurisdictio ad superiorem.
- 89 Episcopus convertens sua diligentia populum ad fidem, qui alias spectabat ad alium Episcopum negligentem, contra eum præscribit triennium; non verò breviori tempore, nisi diligens Episcopus præmoneat Episcopum negligentem n. 90.
- 91 Episcopus negligens procedere contra disseminantes errores in fide puniendus est, usque ad privationem.
- 92 Sanctus Carolus Boromeus zelo exarsit in Episcopum, qui dicebat, sibi in suo Episcopatu nihil superesse agendum.
- 93 Episcopus negligens solvere debita à se contracta, vel cedens, vel decedens, adhuc tenetur ea solvere.
- 94 S. Cyprianus enumerat negligentiam Episcopi, inter abusiones.
- 95 Gravis culpa est in Episcopo non audire promptè, & facile omnes, & quoscumque audientiam expostulantes.
- 96 Pœnas purgatorii, quas passi sunt aliqui Episcopi negligentes.
- 97 Referuntur gravia incomoda, que sequuntur, si Episcopus negligat audire prudentum consilia, num. 98. examinatur quando hæc negligentia sit peccatum mortale, & num. 99., maxime in collatione Ecclesiarum Parochialium.
- 100 Nemo temerè audeat Episcopum corripere negligentem, & qua reverentia, & humilitate procedendum in eo casu.
- 101 Episcopus intentus negotiis secularibus, aut politicis; facile erit negligens in spiritualibus, & in suo Episcopali munere.
- 102 S. Carolus Borromeus Episcopus Mediolanensis duos monitores prudentes sibi constituit, qui quotidie ipsum admonerent de suis defectibus, & neglectis, reprehensibilis, enim est, qui renuit admoneri etiam à subdito.
- 104 Negligente Episcopo, & eius Vicario expedi-

- re causas in termino assignato à Trid., cause avocantur ad superiorem, si in termino prius præfixo non expediat, quia debet prius constare de culpabili Episcopi negligentia, num. 105.
- 106 Episcopus non convincitur de negligentia per viam querelle, sed per prefixionem termini.
- 107 Negligens acquirere hereditates, & legata sue Ecclesie relicta peccat.
- 108 Si Episcopus, quocumque ex capite motus, negligat corripere Clericum concubinarium notorium, ex eo tamen non sequitur licere fidelibus ejusdem Sacerdotis audire sacrum, quia negligentia Episcopi non potest facere id esse licitum, quod de Jure est prohibitum.
- 109 Nequit Episcopus sine gravi culpa negligere, si Sacerdos, vel etiam clericus in scenicis representationibus, vel tragicis spectaculis musico metro decantet, quod latius examinatur numeris 110. 111. 112. 113.
- 114 Neque potest tacendo permittere, quia sacerdotalis dignitas valde de honestatur, incurrit infamiam num. 115. 116. 117., & alia, que nimis vilem reddunt clericalem gradum, & sacerdotalem dignitatem num. 118.
- 119 Dicitur D. Io. Chrysostomi, quod multo plures Episcopi pereant, quam salvi fiant, propter alienas culpas, quas non curarunt.
- 120 D. Caroli Boromei Monita ad Pastorem Cardinalem. qualiter deberet familiarium curam gerere.
- 121 Episcopus habens redditus ultra necessitatem, tenetur ex eis Ecclesiam, & domum Episcopalem reparare, alias negligentia culpatur.
- 122 In minoribus Episcopatibus non habere ultra necessitatem, quando redditus non excedunt scuta 700. declaravit Rota.
- 123 De negligentia Episcoporum plura leguntur in Epist. 2. B. Clementis Papæ remissive.
- 124 Episcopus qui non curat causas miserabilium personarum celeriter expediri qua fieri potest, negligens est; & ad hoc debet frequenter carceres Visitare, vel visitari facere.
- 125 Refertur particula Epistolæ Damasi Papæ de negligentis Episcoporum, qui alii committunt Vices suas, ut ipsi aut otio, aut negotiis secularibus vacent.
- 126 Ex cap. 2., & 3. Apocalypsis revelavit Deus aliquot negligentias, & omissiones Episcoporum, & quam subtiliter de eis judicet.

## ARTICULUS XVII.

## De Negligentia Episcoporum.



- Uti præest in solitudine, ut hinc exordiar cum D. Paulo ad Rom. c. 12., nam si in cæteris negligentia, grave peccatum est, in Episcopis, gravissimum certo judicatur propter gravitatem damni, & præjudicii, quod ex ea sequitur animabus sibi commissis, ac multoties irreparabile, ad notata per Tusc. Vers. negligentia consil. 33. nu. 16., propter quod delictum omissionis, plerisque Episcopos damnari, scripsit Sperebell., referendo alterius Episcopi dictum, decis. 126. num. 30., qua propter, Beda in Matthæum, relatus in c. Nec sufficere 8. q. 1. ait, non sufficere Episcopo ad salutem suam si turbis negligentium adequetur, & Sixtus V. sua constit. 92. incipit. Cum sacrosancta S. ad finem notat, quod Dormientibus Pastoribus, inimicus homo superfeminavit Zizania in Ecclesia Dei, Ideò Apostol. c. ad Timot. 4. ait (noli negligere gratiam, que in te est) & Currus Ezechiel. c. 1., descriptus Ecclesiam demonstrans, animalia illum trahentia Rectores Ecclesiæ, & Pastores præsignantia, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, describuntur plena oculis ante, & retro, quia Episcopo semper vigilandum est, non negligentia torpore otiantum, quod, & sepe Paulus ad Titum. c. 3. enixe suadere conatur (Tu verò vigilia, in omnibus labora.)
- Præjudicia autem ex Episcoporum negligentia provenientia expressit Spiritus Sanctus, Ezechiel. 33., ubi quod (si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram) speculatoris autem nomine Episcopus designatur c. Cleros S. Episcopatus autem dist. 21., & idem est, quod superintendens, ac vigilans super animas suo Episcopatu, idest curæ vigilantia, & pastoralis sollicitudini commissas, ut docet D. August. lib. 19. de civit. Dei c. 19. relatus in c. qui Episcopatum 8. quest. 1., ubi quod Episcopus debet ad-

- vertere, & intelligere se non esse Episcopum, qui præesse diligit, non prodesse, & D. Greg. in Ezechiel. c. 33. homil. 11. in verbo speculatorem dedi te Domui Israel, ait, quod Speculator non est, qui in immo est, idest somno, otio, negligentia deprimitur, sedet, & obliviosa omissione officium negligit, sed Speculator semper in altitudine stat, ut, quidquid venturum est, longe prospiciat, & quisquis populi Speculator ponitur in alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam, & Paulo post, ait, & quam dura mihi sunt ista, quod otiosus verbis sepe implicor atque ab exortatione, atque edificatione proximorum torpens, & negligens cesso, torporem meum, atque negligentiam video, & post multa, ad illa verba Profetæ (sanguinem de manu ejus requiram) ait, ipse hunc occidit, qui eum tacendo morti prodidit; ex eo ergo, quod tacuit, & neglexit corripere, ideò reus mortis tenetur, neque meretur nomen Episcopi, neque ut Episcopus dignoscitur, qui taliter in Episcopali munere negligens est, ut ait, Greg. scribens Anthimio Subdiacono campaniæ lib. 11. Epist. 29., relatus per Grazian. in c. pervenit dist. 84., & c. nuntiatum ead. dist.
- Quæ omnia ponderosis verbis expressit Concilium Trid. sess. 24. c. 1. de reform., de Justa, & saluberima electione Prælatorum, in fine, ibi, & bonos maxime, atque idoneos pastores singulis Ecclesiis præficiat, ideoque, & magis, quod ovium Christi sanguinem, quæ ex malo negligentium, & sui officii immemorum pastorum regimine peribunt, Dominus noster Jesus Christus de manibus ejus sit requisiturus.
- De negligentia Episcoporum habetur in c. Nuntiatum est dist. 84., quod scribit Gregorius Anthimio Subdiacono Campaniæ lib. 11. epist. 29. per hæc verba. Nuntiatum est nobis Campaniæ Episcopus, ita negligentes existere, ut immemores honoris sui, neque erga Ecclesias, neque erga filios suos paternæ vigilantia curam exhibeant, vel monasteriorum sollicitudinem gerant, seu in oppressorum, & pauperum se tuitionem impendant, ideò hac tibi auctoritate præcipimus,

pimus, ut eis à te convocatis ex nostro, illos mandato districtè commoneas, quatenus desides, ulterius esse non debeant, sed Sacerdotalem se habere zelum, & sollicitudinem opere doceant, atque ita in his, quæ eos justè, secundum Deum agere convenit, vigilantes existant, ut nullum nos de eis denuo murmur exasperet, si quem verò eorum post hæc negligentem esse cognoveris, ad nos eum sine aliqua excusatione transmittes, ut quam sit grave nolle ab his, quæ reprehensibilia, & valde vituperanda sunt corrigi, regulari in se valeat distributione sentire.

8 Ex qua Epistola, gravioribus quidem sententiis tanto Pontifice dignis, conscripta, notat *glos. in Vers. Vigilantes*, quod Vigilantibus Jus scriptum est, unde cum Episcopus negligens, non sit vigilans, nullum potest consequi Juris beneficium.

Ita in *Vers. Aliqua excusatione*, defumit argumentum, quod damnatus de negligentia, neq. habet beneficium appellationis.

Et in *Vers. in se valeat* (quia si stultus fuit in culpa, sapiens sit in pœna).

9 Ex quibus colligat lector prudens, quantum vilescat Episcopus negligens, ut à *glos. in Vers. stultus in culpa*, & eius stultitiæ remedium sit, quod fiat sapiens in pœna, quod quidem tantæ dignitati indecens est.

10 Negligens Episcopus administrare sacramenta, quæ ad ipsius proprium officium spectant, ut confirmare &c. Peccaret, ut observat *Tolet. in instruct. Sacerdotum lib. 5. c. 4.*, & post *Genuensem*, *Barbosa de universo Jure Eccl. lib. 1. c. xi. num. 40. & seqq.*

11 Et si daretur, Episcopus tanta negligentia vitiat, ut esset inutilis, deberet ab officio deponi, pro ut de Præfecto provincie disponitur, in *l. si quos Judices*, & ibi *glos. in Vers. Remotis C. de officio Præfecti Prætorum Orientis*.

12 Et regulariter omittens, quæ sunt necessaria ad salutem animarum peccat mortaliter, quia agitur de jactura animarum, quæ sunt pretiosæ supra universum. *Vivus comun Opin. lib. 1. opin. 30. num. 22.*, negligere autem, cum possis deturbare perverfos, nihil aliud, est, quam fovere *c. Facientis dist. 86. c. Negligere 2. q. 7.*

Aptantur autem Episcopo, quæ de Papa legimus in *c. si Papa dist. 40.* ubi hæc *Si Papa* (dicat si Episcopus, suæ, & fraternæ sa-

lutis negligens deprehenditur inutilis, & remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi, & omnibus, nihilominus innumerabiles populos catervatim secū ducit primo mancipio, idest diabolo Gheenæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus.

13 Ad quæ respexit *D. Augustinus Epist. 148.* relatus in *c. Ante omnia peto. dist. 40.* scilicet ad *Valerium* per hæc verba; Nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, & letius, & hominibus acceptabilius, Episcopi, aut Presbiteri officio, si persunctorie, atque adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Item *nihil est in hac vita, & maxime hoc tempore discilius, laboriosius, & periculosius Episcopi, aut Presbiteri officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet.*

14 Atque de consimili negligentia redarguuntur Episcopi expressis verbis *Ezechiel. c. 34.* ibi (Pastores audite verbum domini pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset Pastor, neque enim quaesierunt Pastores gregem meum, sed pascebant Pastores semetipsos, & greges meos non pascebant, propterea, ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum) præmiserat enim eodem cap. minas, & Vehdicens (gregem meum, non pascebatis, quod infirmum fuit, non consolidastis, quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quaesistis, ideo dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset Pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri) ex quibus constat quanta mala sequantur propter negligentiam Episcoporum, qui sunt Pastores dominicarum ovium, & 2. *Paralipomen. c. 29.* nolite negligere, vos enim elegit dominus, ut stetis coram eo pro salute populorum; *D. Paulus actorum 20.*, Mundus sum à sanguine omnium, non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis (quia Pastor, qui non increpat delinquentes, tacendo occidit) *c. Ephesys dist. 43.*, negligentia autem Episcopi, opponitur præcepto *D. Pauli ad Rom. c. 12.*, qui præest in sollicitudine.

15 Quod etiam prosequitur *D. August. homil. in c. 13. Matthæi*, dicens, cum negligentius agerent Præpositi Ecclesiæ, venit Diabolus, & super seminavit eos, quos malos filios dominus interpretatur, cum otio torpentes Episcopi, epi-

pi, episcopale munus negligant, ut plurimum sunt in causa, ut varii, & pessimi errores disseminentur, & idem *August. lib. de Pastoribus sub num. 231.*, ait, Quid est fratres? videtis, quam sit tacere periculosum, moritur ille, & rectè moritur in impietate sua, & in peccato suo moritur, negligentia enim ejus occidit eum, nam Pastorem inveniet viventem, qui ait, vivo ego dicit dominus Deus, sed cum fuerit negligens, non admonente illo, qui ad hoc est præpositus, & speculator, ut admoneat, & ille justè moritur, & ille justè damnabitur; facit *tex. in c. si Papa dist. 40. c. si Rector. c. Ephesys dist. 43.*

16 Prosequitur autem Dominus *Ezechiel. c. 34.* pronuntiare pœnam, qua mulcabit Pastores, nempe Episcopos negligentes dicens, ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius Pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam.

Hinc notat *Navarra in c. Contrarium num. 18. de pœnit. dist. 5.* *Barbosa post alios in c. ea quæ num. 3. de off. Archid.*, quod Episcopi negligentes in iis, quæ facere tenentur ratione officii, committunt peccatum mortale: *Abbas in c. Nihil. de rescript. Felin. in c. 2. de tregua, & pace, c. si Papa dist. 40.*

17 Ex quibus satis apertè colligitur, primo quod potissimum corrigere subditos peccantes, est onus Episcoporum, quod si negligant, gravissimè peccant, & tenentur reddere rationem de animabus ovium sibi creditarum, & hoc exprimitur ex verbis *Ezechielis supra relatis* (si viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina), & ex aliis (quod infirmum fuit non consolidastis, quod ægrotum non sanastis, quod confractum non alligastis) atque certo maxima prudentia, sapientia, virtus, animi constantia, industria requiritur in Episcopo, ac propterea merito cura Episcopalis dicitur ars artium *c. Cum sit, de etat., & qualit., & ord. præfic.*, & tanto gravior est culpa, quanto prætiosior est anima, quæ perit, qua nihil præciosius in toto mundo, juxta *Math. c. 16.*, quid prodest homini si universum mundum lucretur animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua, & facit *tex. in c. præcipimus*

12. q. 1.

18 Et non solum homines de infima plebe, sed & nobiliores, Magistratus, & Principes, debent corripere Episcopi, quos viderint peccantes, funguntur enim officio patris: Immo in hoc Dei legatione funguntur, ut ponderatioribus verbis asseruit, *Clemens I. in Epist. 3. de officio Sacerdotis sub initio*, omnesque animas sibi creditas habent filios, & tamquam Pater debet filios, quod videt errantes corripere, idèd *Justinianus Imperator novella const. 86.*, rogat Sanctissimos Episcopos, ut corrigant Judices, & Magistratus, quos viderint minus benè Justitiam administrare, quod & *Paulus ad Timot. edixit Epist. 2. c. 4. argue; obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*, ex quibus verbis Pauli, etiam clarè colligitur; quod non evitabit negligentia notam Episcopus, si semel tantum peccantem corripiat, sed debet iterum, & iterum corripere, si primo, aut secundo non profecit, cum Paulus replicet, argue, obsecra, increpa in omni patientia, Magistratus enim, & Principes, & Reges terræ homines sunt, & ut homines delinquant, ac propterea sicuti in morbis corporis indigent medico, & medicina, quæ multoties pluries propinatur, ita, & in morbis animæ indigent spiritali medico, & medicina, etiam pluries replicata, & medicus non alius constitutus est à Deo, quam Episcopus, & sicut Medicus si negligit curare vulnera ægroti, dissimulans ea videre, delinqueret, ita Prælati, & Episcopi dissimulans excessus, & peccata subditorum, nec corripiens delinqueret, & mortaliter peccaret, ut disertis verbis dixit *D. Greg. p. 2. sui pastoralis c. 4.* relatus in *c. sit Rector dist. 43.*, ubi etiam negligentia causam damnat dicens (sepe namque Rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt, & iterum *Greg. relatus in t. ephesys dist. 43.*, ubi mundus ergo à sanguine eorum non esset, si eis Dei consilium annuntiare nolisset, quia cum increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio tacendo pastor occidit; quam dissimulationem esse peccatum mortale, pariter dixit *glos. in c. Clericis §. non igitur in Vers. dissimulatione de immunitate Eccles.*, *Felin. in c. 1. de tregua, & pace num. 40.*

19 Potissimum autem tenetur Episcopus corripere